




16  
R. 1287

Balbi  
de  
Coronatione

E. 16, tab<sup>a</sup> 3<sup>a</sup>, n<sup>o</sup> 16



R. 1287 (2)



Magnifico Ludouico a Flandria Dño Pratenſi  
Cæſareæ Maiestatis Conſiliario, Hieronymi  
Balbi Episcopi Gurceñ. De Magnif.  
Oratore Michaelē Maio  
Epigrāma.

**G**Rata serenati deuexit tempora ueris  
Maius, et hybernas iussit abire minas.  
Quam bene florifero tu Prata uirentia Maio  
Iungis, ubi flores explicet ille suos.  
Maius alit flores, genitaliq; admouet aura,  
Suscipis hos placido Prate benigne sinu.  
Ne quos ille tulit fœcundo germine flores:  
Arescant sterili deficientq; solo.  
Sed collecta tuo digestaq; in ordine Prato:  
Cæſareas ornent florea ferta comas.

Ad eundem Carmen Sapphicon.

Rosas immitis populatur æstas:  
Aureas frondes Iouis ira sæui  
Delet momento: fragilisq; cessat  
Gratia florum.

Sed tuo ductu Ludouice culta  
Prata, natiuum retinent decorem,  
Et uirent aura recreante et alme  
Vbere terræ.

Prata quæ uernos hyemem sub ipsam

Educant foetus, Borææ minacis  
Nil timent rixas, canis aut furentis  
Sydus iniquum.  
Prata quæ musæ sibi uendicarunt:  
Hic ubi exercent numeros lyramq;  
Nam lyra et carmen numericq;, grata  
Pabula præbent.  
Prata quæ dulci Charites recessu  
Colunt: et pleno dea Flora cornu.  
Quæ Phœbus uultu radians amico  
Spectat ab Astro.  
Prata ubi Nymphæ uitreis ab undis  
Efferunt udum caput: atq; in ipsa  
Lusitant herba, chorea scq; blando  
Cum pede ducunt.  
Hic ubi letæ segetes perennem  
Induunt florem: statuunt uolucres  
Nidum: et in prolem pecudes feræq;  
Sponte feruntur.  
Hic ubi Cypris rosa purpuriffat.  
Et flauet planta Melilotos uida.  
Lilia albescunt, et hiat decoro  
Flore hyacinthus.  
Hæc et afflatus redolent sabæos:  
Et stillant puram madefacta Nardum.  
Indicum, et Costum, Syriiq; fœlix

Gramen Amomi.

Iure tu fœlix superisq; charus:

Cui Venus plaudit: tripliciq; nodo

Gratiæ iunctæ, seges ipsa ridet:

Ridet et aer.

Tu pacem certam latio tulisti:

Tu claris fulges studiis, boniq;

Cultor et recti, simul et sacrorum

Iustitiæq;

Orbe pax toto reuehat quietem:

Pax sub occasu micet et sub ortu.

Pax sit humano generi perennis

Auspice Prato.

Ipsè ut scelectos per amœna tempe

Colligam flores: paphiamq; Myrthũ:

Et tuum nomen bene nota musis

Barbitos ornet.

His et in Pratis modulabor amplas

Cæsaris laudes, decus et triumphos,

Sis modo fœlix facilisq; uoto

Vatis amici.

Nam uirum ingentes animos: ad alta

Exercet laus et rapit: o Camœnæ

Laudis altrices, meritos honores

Reddite Prato.

Eiusdem de futuris Caroli Augusti  
successibus Vaticin-  
ium.

Nox erat, et puro radiabant lumina cælo:  
Rosidaq; in biugis Luna nitebat equis.  
Cum me nocturnis operantem sacra Camœnis,  
Curarum domitrix cœperat alta quies.  
En Phœbus uiridi redimitus tempora lauro,  
Est uisus nostro limine ferre pedem:  
Clara serenato lampas fulgebat ab ore.  
Plurimus in toto corpore splendor erat,  
Aurea Cæsaries longa ceruice fluebat:  
Herebant lateri munera grata lyræ.  
Pectine qui cytharam simul ac percussit eburno:  
Fatidico tales ædidit ore sonos,  
Heu mihi q̄ uanum est humanis fidere rebus.  
Quam uanum est ullo ponere certa loco.  
Cum roret ambiguo Fortuna uolubilis orbe:  
Quæq; ualent fato sæpe iubente ruant.  
En tibi Cæsareis celeberrima Roma triumphis,  
Protulit in geminos quæ sua sceptrâ Polos.  
Septēnis Vrbs alta iugis: de culmine tanto  
Excidit, innumeris exagitata malis:  
Hæc Arabas, Medos, gracilesq; coercuit Indos:  
Teq; sagittifera Parthe superbe fuga.

Paruit huic lapsus septēna per hostia Nilus:  
Turbidus et rapta factus Oaxis aqua.  
Paruit et toto diuisa Britannia mundo:  
Et posita Eoo littore Thaprobanae.  
Vtq; altum excreuit paruis a sedibus orta:  
Sic lapsa est imo præcipitata gradu.  
Nec licuit duri uitare pericula casus.  
Cum ratio fatum uincere nulla queat.  
Inde Scythæ, Gothiq; truces, et durus Alanus  
Proxima ripheo qui colit arua Iugo.  
Cede, fuga, flamma, latios fregere pēnates:  
Ipsaq; ab hostili est Roma perusta face.  
Aspice nunc aliis infestus miles ab oris  
Vt ruat in clades Ausonis ora tuas.  
Hinc properat latis audax Hispania terris:  
Hinc Italas Galli depopulantur opes:  
Inde furit densis pubes germana manipulis:  
Hinc eques, inde pedes, pronus ad arma ruit.  
Appulus, et Samnis, iunctusq; Gabinus, Ethrusco:  
Sentit uicinis classica pulsa locis.  
Agmina collatis coeunt in prælia turmis,  
Aestuat audita militis ira tuba:  
Cede madet tellus, squalent populatibus agri.  
Et cremat innocuas hostica turba casas:  
Tecta rigent densis, ueluti uallata sagittis:  
Et graue muralis machina iactat onus.

Vix Vrbes miseri uallo portaq; tuentur:  
Hæc quoq; habent hostes, quoq; uerantur eunt.  
Quisq; tamen posito sumat noua gaudia luctu:  
Nullaq; funestus contrahat ora dolor.  
Nam iam læta redit uultu fortuna secundo.  
Iam remeat pulsa nube serena dies.  
Carolus in toto Phœnix uelut unicus orbe,  
Auspiciis reuehet prospera fata suis.  
Hic caput imperii repetet: domitisq; Tyrannis,  
Eximet a turpi colla subacta iugo.  
Victricesq; Aquilas Capitoli sede locabit:  
Nec nisi Romanum quod uereamur erit.  
Sed simul ac uincet uictis sua iura remitter:  
Carolus ut bello, sic pietate prior.  
Vincit enim ut uictis ignoscere possit, et illa  
Qua gerit, hac gaudet ponere tela manu.  
Parris non domini ritu complectitur omnes  
Qui ueniam lapsi supplice uoce rogant.  
Et q̄ Marte ferox, domito tam mitis in hoste,  
Moribus exequat clara trophœa suis.  
Hoc duce libertas latium migrabit in orbem:  
Paxq; erit et pacis fida ministra quies.  
Candida pax olea cinget sacra tempora Regum:  
Candida pax proceres in sua iura trahet.  
Gloria Pontificis cui dat Clementia nomen  
Crescet, et eximium surget in astra decus.

Quæq; procelloso, nunc fluctuat æquore puppis,  
Ducet inoffensas per uada tuta uias.  
Ast ubi securo populos in pace locabit  
Quos gemino claudit littus utrunq; mari.  
Nil ille in Turcas cessabit Marte feroces  
Sancta salutiferæ tollere signa crucis.  
Et cum fratre pio cōmunem raptus in hostem:  
Delebit populos (nec mora longa) truces.  
Qui licet immites æquent feritate Cycloas:  
Et rigida durum Gorgone pectus alant.  
Hi tamen o facinus nostriq; o dedecus æui:  
Cladibus Eoos hesperiosq; premunt.  
Hosq; Syri metuunt, Arabes, et Cares, et Indi:  
Atq; Semiramia mœnia structa manu.  
Carmanusq; Cilexq; et longi cultor Imaui:  
Aequa nec hospitibus Taurica terra suis.  
Quaq; fluit Ganges, auro qua turbidus Hermus:  
Tygris, et Euphrates qua loca culta rigant.  
Iamq; Asia domita, spoliis orientis onusti:  
Europæ in medio bella cruenta gerunt.  
Nec Thracas domuisse sat est, Hemumq; niualem:  
Fregisse et uires Græcia docta ruas.  
Messia uicta iacet, iacet ingens Illiris ora:  
Flexaq; montanæ brachia Dalmatiæ.  
Pannonii subiere iugum, subiere Liburni:  
Et quos preterea longa referre mora est.

b

Iamq; iter ad Rhenum, fontemq; binominis Istri:  
Ense cruentato trux Solimanus agit.  
Hocq; magis sitiens quo plus bibit ille cruoris:  
Pascitur e nostris luxuriatq; malis.  
Dira quoq; in superos sæuorum more gigantum  
Bella gerit, nullum dum putat esse deum.  
Carolus hoc monstrum cœlestis robore clauæ  
Sternet, et in stygias præcipitabit aquas.  
Et simul Arctoo Rex Ferdinandus ab axe:  
Arma geret fratri consocianda suo,  
Occidet extincto Mahometica secta furore:  
Notus erit toto uerus in orbe deus.  
Qua Boream spectat sublimis ab æthere uertex:  
Qua repet aduersi mitior aura Poli.  
Quaq; Oriens dat signa dies: qua uespere sero  
Lapsus in æquoreas præcipitatur aquas.  
Suspicient pura natum de Virgine Christum:  
Missaq; de supero mistica sacra Polo.  
Tunc belli finis, requiesq; optata malorum:  
Tum nihil infesti quod timeamus erit.  
Hæc tibi Phœbus ego superis delapsus ab oris,  
Euentura sono uaticinante cano.  
Ut tua Castalii non indiga musa liquoris  
Austrinæ celebret tanta trophœa domus.  
Magnæ molis opus, sed tendit ad ardua Virtus:  
Claraq; de duro fama labore uenit.

Hæc ubi dicta dedit, tenues ceu fumus in auras  
Phœbus abit, uisus destituitq; meos.  
Voce dei monitus, te lux clarissima mundi  
Alloquor, inq; sacros ora resoluo sonos.  
O decus Austriacæ spes, et noua gloria gentis:  
Proxima qui magno cum Ioue sceptrā tenes.  
Cuncta tuo pendent a numine, machina mundi  
Tota, humeris cœpit nunc onus esse tuis.  
Tu clarum afflictis lumen mortalibus affers:  
Et nitidum toto spargis in orbe Iubar.  
Tu Senonum strages, et Cimbrica damna repêdes:  
Tu Totilæ flammās Vandalicūq; nephas.  
Tu Mausolei redimes pia templa sepulchri:  
Sacraq; barbaricas non bene passa manus.  
Turca ferox dabit ora tuo neçtenda capistro:  
Atq; Boristenio Tartarus orbe nocens.  
Insignemq; feres superato ex hoste triumphum:  
Quo ritu ueteres instituiſtis aui.  
Qualis ab edomita uictor Tyrinthius Hydra.  
Qualis et Eoo Bacchus ab orbe tulit.  
Alta triumphali scandes Capitolia cultu:  
Quatuor in niueis conspiciendus equis.  
Ferdinandus ouans curru sublimis eodem:  
Fronidenti Lauro tempora uincta geret.  
Præcedent duris onerati colla cathenis:  
Sanguineas uincti post sua terga manus.

Qui scelerata colunt Mahometæ sacra nephandi  
Pro falsisq; gerunt bella pudenda deis.  
Præcipue Turcæ, domita ceruice ferentes  
Vincula, qui nostris gentibus horror erant.  
Fercula ducentur celebri solennia pompa:  
Cum titulisq; legent oppida capta suis.  
Fluminaq; et ueros simulachra imitantia montes:  
Armaq; per cumulos telaq; iuncta suos.  
Ornabis sacras spoliis hostilibus ædes:  
Virtutiq; feres tot monumenta tuæ.  
Curia gaudebit patribus stipata uerendis:  
Plebs, eques, ore, manu, prospera signa dabunt.  
Et letum Peana canent, duo fulmina belli  
Austriades, superis Regna secunda tenent.  
At tuus argento Clamydem contextus et auro  
Miles, io magno uoce triumphæ canet.  
Dicite io fœlix pilios dominetur in annos  
Carolus, et nostro semper in ore sonet.  
Dicite io faustos quibus hoc sub principe nasci  
Contigit, et tanto numine posse frui.  
Dicite io longum Rex Ferdinandus in æuum  
Floreat et fratri proxima sceptræ ferat.  
Austriacosq; duces solitis circunuolet alis  
Gloria, quæ solis lustret utranq; domum.  
Ipse pio cultu solennes pronus ad aras,  
Propitio reddes debita uota deo.

Costum molle fluet, passim spargetur amomum.

Et quæ sepositus munera mittit Arabs.

Ast ubi iam manibus purgatum sanxeris orbem:

Clauferis et firma bellica templa fera.

Prisca renascentur meliori sæcla metallo:

Et senio posito iam nouus orbis erit.

Sic renouat ueteres ales Gangetica nidos:

Quæ perit ut uiuat, morte resecta sua.

Iustitia æthereas tandem delapsa per auras,

Pollutam nulla labe reuifet humum.

Non ferus insiliet stricto siccarius ense:

Predonec innocuas queret auarus opes.

Non struet insidias fido delator amico:

Fama nec ullius plena cruoris erit.

Captator fumos populo non uendet inanes:

Credula quem foueat simplicis aula Ducis.

Nullus in aduersos tendet sua brachia fluctus:

Cum liceat facili currere cuiq; uia.

Hæc ego pieria referam securus in umbra:

Sit licet exiguo paruus in ore sonus.

Sed tamen ingenii quicquid de paupere uena

Fluxerit, id uotis seruiet omne tuis.

Dum sol uoluetur rapido contrarius orbi:

Lunaq; fraternis obuia curret equis.

Te super astra uehet sublimi gloria penna:

Tantus inest musis, carminibusq; uigor.

Carmina non metuunt cariōsæ damna senectæ:  
Illa licet rabido gutture cuncta uoret.  
Quod mihi si placida facilis deus annuet aure.  
Hos repetam cantus uberiore lyra.  
Letarum interea mea sit prænuncia rerum  
Musa per æthereas cardine lapsa uias,  
Alitibusq; bonis uenientia fata rerexat:  
Quæ tibi de niueo uellere parca trahit.  
At tu Phœbe pater, certis qui legibus æui  
Quæ sunt, quæ fuerant, quæq; futura canis.  
Ista tuo monitu cum sim uentura locutus:  
Adiice carminibus pondera digna meis.  
Nilq; sit in terris occasu solis ad ortum:  
Quod non Austriadum sub ditione fluat.  
Sic fore uaticinor moneoq; fauete monenti:  
Utq; hæc sint stabili credita uerba fide.  
Præscia signa ferat, uenturiq; omina fati:  
Proximus Auroræ uectus ab axe dies.

Bonoñ. in Aedibus Io. Baptistæ Phaelli.


M. D. XXIX. Mense Nouemb.














LIBRARY OF THE  
MUSEUM OF NATURAL HISTORY

1833

de

CORON  
&  
DOME

LIBRARY OF THE  
MUSEUM OF NATURAL HISTORY

16

1287